



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Anima esse principium quo primum viuimus, sentimus, mouemur, &  
intelligimus, cap. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

operis libro tex. 22. Quod, inquit, simplicem habet formam, aut totum scitur, aut totum ignoratur. Quod igitur non totum scitur, nec totum ignoratur, compositum est in forma. At quidquid est sub genere substantiæ, sciri potest quoad genus & ignorari quoad differentiam, aut ignorari genus illius proximum, aut medium, & cognosci genus supremum: est igitur ex multis formis compositum. Postremo, ne singula persequar, hoc modo argumentatur. Quod alicui conuenit per animalis formam, conuenit illi ut est animal: quod autem conuenit alicui ut est animal, est illi commune cum omni animali: at homini per animalis formam, quam aduerfarij eandem esse dicunt cum ea, quæ est intelligens, conuenit esse ritus capacem: ergo hoc conueniret illi ut est animal, omnique animali commune esset. At hoc est falsum. Necessè est igitur aliam esse formam, per quam homo sit animal, & aliam, per quam sit intelligens, ritusque capax.

Verùm quod primo loco proponitur, solam probat multitudinem entium forma, definitione distinctorum. Satis enim fuit Parmenidi ostendere, multa esse entia realia, etsi non reipsa distincta. Huiusmodi est distinctio generis & differentie, quæ inde necessario colligitur.

Porro in 2. lib. Metaphysicæ sermo est de Metaphysicis formis, quæ nequaquam re distinguuntur, sumunturque ex diuersis gradibus: non item de Physicis, quæ insunt in materia re inter se diuersa. Propterea accipit, non dari abiectionem in infinitum in formis. Satis enim illi fuit ostendere in formis Metaphysicis: quoniam si in illis abire non licet in infinitum, multo minus licebit in Physicis, quæ numero pauciores sunt.

Locum citatum ex 7. lib. Metaph. sunt qui ita interpretentur, ut in eo sit sermo de definitione Physicæ, quæ partibus constat in obliquo casu positis: ut si hominem dixeris esse animal, quod corpore constat & intelligente anima. Non item de ea definitione, quæ partibus in recto casu explicetur, ut homo est animal intelligens. Tunc enim pars utraque totam hominis naturam significat, altera indeterminatè & tanquam multis communem, altera determinatè & ad solum contractam hominem. Verius dixeris, partibus definitionis respondere partes rei, quæ definitur: non tamen re distinctas, quia diuersi respondent gradus in eadem natura, vnus generalis, alter proprius.

Iam verò alter locus noni lib. Metaph. ita est intelligendus. Quod simplicem habet formam, si in se cognoscatur, aut totum scitur, aut totum ignoratur, propterea quòd nullas habet partes. Hocque de intelligentiis pronuntiatum videtur, in quibus nullam existimauit esse generis ac differentie compositionem. In alijs, quæ genere constant & differentia, ut partibus forma distinctis, altera sciri potest altera ignorata: præsertim si cognitio ex effectis queratur. Nam ex vna operatione attributum vnum cognoscitur altero penitus ignorato.

Postremo ab hominis forma, qua & homo est & animal, ortum habet capacitas ritus, quæ tamen non conuenit homini quatenus animal est, hoc est quatenus ea forma sentiētis animæ perfectionē habet, sed quatenus homo est, hoc est quatenus eadem illa forma propriam hominis perfectionem significat. Et ideo non omni animali conuenit.

*Anima esse principium, quo primum viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus.*

C A P. I I.

T E X T V S.

Ἐπι τῆς δὲ ἀφ' ἧς ἀφ' ἧς ἰσχυρῶς φανερῶν ὅτι ζῆται πρὸς σαρξὸς  
 ἢ καὶ πρὸς λογὸν ἡμετέρων, πικρῶτον πάντων ἐπιζητῶν  
 ἀπὸ αὐτῆς ἔστι μῦθον τὸ ὅτι δὲ τὸν ὁριστικὸν λόγον ἀλλοῦ ὡς ἀπὸ  
 οἱ πλείστοι ἡβῶσαν λέγουσιν, ἀλλὰ ἢ τὴν αἰτίαν οὐκ ἔχον ἢ ἡμ-  
 φανερῶν. τὴν δὲ ἀσπὸς συμπερασματῶν οἱ λόγοι ἡβῶσαν εἶπον.  
 οἷον ἢ ἔστι πρῶτον ἀριστῶς, τὸ ἴσον ἐπιπρομηκεῖ ὀρθογώνιοι ἢ ἴσο-  
 πλάθειον. ὃ δὲ τὸ πρὸς τὸ ὅρος, λέγεται τὸ συμπερασματῶν ὃ δὲ λέγουσιν  
 ὅτι ἔστι πρῶτον ἀριστῶς μέσης ὀρθογώνιας, τὸ πρῶτον λέγει τὸ  
 αἰτίον.

Quoniam autem ex obscuris quidem, manifestioribus autem sit manifestum & secundum rationem notum: tenendum iterum sic ipsam aggredi. Non enim solum quod sit oportet definitam rationem ostendere, sicut plurima definitionum dicunt: sed & causam inesse & apparere. Nunc autem ut conclusiones rationes definitionum sunt. Ut quid est quadratum? equale altera parte longiori re-ctangulum equilaterum esse. Talis autem definitio, ratio conclusionis. Quæ autem ait, quadratum esse mediâ inuentionem, rei causam dicit.

Tex. 12.

COMMENTARIVS XIV.

**T**Hemistius in ea videtur fuisse sententiâ, ut Philosophum crederet voluisse hoc loco inuestigare, quomodo, & quæ anima sit à corpore inseparabilis. Et ideo tum de anima vniuersa, tum de singulis partibus eum egisse; ut intelligeretur, num aliqua sit separabilis. Sed certè manifestum est, aliud fuisse illi propositum, aliudque præstitum; nec eiusmodi quidquam Philosophi verba sapiunt.

Albertus, S. Thom. & Latinorum plerique demonstrari maluerunt definitionem hæcenus expositam. Ita verò demonstrari. Anima est id, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus primò: ergo anima est actus primus corporis &c. Alexander quoque in secundo lib. Natural. quæst. cap. 25. eum dixit voluisse probare id, quod antea definiendo acceperat, animam esse formam; idque demonstrasse per causam. Etenim causa, cur anima sit forma, est; quia principium est, propter quod animata dicuntur viuere, sentire, moueri, aut intelligere.

Philoponus Aristotelem dixit animam antea entelechiam appellasse; nunc docere, quomodo sit entelechia, & quomodo corpus perficiat vnaquæque partium ipsius animæ: quomodo inquam plantalis, quomodo sentiētis, aut intelligens: & cuius vnaquæque illarum sit entelechia, hocque de singulis animabus agendo.

Magis probo interpretationem Simplicij, atque Auerois; post expositam generalem animæ definitionem, quæ figuralis erat & confusa, inuestigari aliam magis specialem & cuiusque

L L iij

propriam. Hoc enim est, quod & statim proponit, ex notioribus tentandum esse iterum ipsam aggredi, hoc est notiori definitione explicare. Vt hoc etiā respondeat propositioni posita in textu i. tentandum esse communissimam querere animæ definitionem. Et exemplo quadrationis significat; cuius duplicem adfert definitionem. Vnam, quæ est conclusio; alteram, quæ est principium & continet causam; tamen si ex vtraque simul sumpta fiat vna perfecta definitio. Nam eodem modo aliam animæ definitionem querendam proponit. Quia non solum definitionem oportet explicare, quod res sit, quemadmodum ferè exposuit generalis illa definitio superius posita: sed etiam propter quid sit & ideo animæ quoque alia querenda est, quæ aperiat causam, cur ea sit actus primus corporis naturalis organici, sicut antea definitum est. Ea enim demum perfecta censetur definitio, quæ & formalis erit & causalis: quemadmodum si quæras, quid est Eclipsis: Definitio formalis erit; Eclipsis est privatio luminis: Causalis autem; Eclipsis est interpositio terræ inter Solem & Lunam. Ac demum perfecta erit, quæ vtramque comprehendet; Eclipsis est defectus luminis ex interpositione terræ. Formalis definitio est velut conclusio; causalis velut principium; propterea quod per hanc soler illa demonstrari. Quæ demum ex vtraque constat, demonstratio est sola dispositione differens. Siquidem & conclusionem habet & principium demonstrationis, solaque deest forma & terminorum dispositio. Nec est difficile id, quod ultimo loco ponebatur, primum accipere, atque huiusmodi demonstrationem ordinare. Eclipsis fit ex interpositione terræ; sed cum interponitur terra, Luna privatur lumine: Eclipsis igitur est privatio luminis. Aristoteles in tex. 10. lib. 2. de Posteriori Analyti exēplū proposuit tonitru; cuius definitio formalis est, Tonitru est sonus in nubibus. Causalis autem; Tonitru est extinctio ignis in nubibus. Ac demum perfecta; Tonitru est sonus ignis, qui extinguitur in nubibus. Quæ si alio modo disponitur, hæc demonstratio; Tonitru fit ex ignis extinctione in nubibus; sed cū ignis in nubibus extinguitur, fit sonus; tonitru igitur est sonus in nubibus.

Hoc loco ex Geometricis exemplum profert quadrationis quadranguli. Quadrare autem quadrangulum est inuenire quadratum æqualium omnium laterum, quod spatium contineat æquale quadrangulo rectangulo duorum laterum æqualium; quod scilicet duo habeat latera duobus reliquis longiora. Id assequimur inuenta linea media, quæ inter latus maius & latus minus quadranguli fit proportionalis. Itaq. tres inæquales lineas accipere oportet quæ proportionē inter se eandē habeant; quæq. est proportio maximæ ad mediā, eadē sit mediæ ad minimam. Huius mediæ lineæ inuentio principium est & causa, tum rei, tum demonstrationis. Nam si super eam describatur quadratum; illud erit æquale quadrangulo rectangulo, quod ex duabus reliquis constabat.

Si igitur queratur, quid est quadratio: duobus modis respondere licet. Aut definitione formali, quæ explicet, quid sit: Quadratio est constructio figuræ rectangulæ laterum omnium æqualium, quæ quadrangulo altera parte longiori sit æqualis. Aut definitione causalis: Quadratio est inuentio mediæ lineæ proportionalis inter duo quadranguli data latera. Prior est veluti conclusio; posterior velut prin-

*Definitio  
formalis  
& causalis.*

*Definitio  
sola dis-  
positio  
à demon-  
stratione  
differens.*

*Quadratio  
quadranguli.*

cipium, quia continet causam, propter quam prior illa demonstratur. Nam propterea factum est quadratum æquale quadrangulo, quia linea media fuit inuenta. Porro ex vtraque simul coniuncta fit definitio perfecta velut demonstratio sola dispositione differens. Quadratio est constructio quadrati æqualis quadrangulo ex inuentio mediæ lineæ. Nam si alio modo disponas, hanc habebis demonstrationem. Quadratio fit ex inuentio mediæ lineæ proportionalis inter duo quadranguli latera, sed cum inuenitur hæc linea constructur figura rectangula æqualium omnium laterum quadrangulo æqualis altera parte longiori, ergo quadratio est constructio talis figuræ. Quæ demonstratione illud præterea dicimus, ut non solum quid res sit, & cur sit cognoscimus (vtrumque enim definitione continebatur) sed effectum quoque ab huiusmodi causa pendere ostendamus.

Et ut aliqui vniuersè magis de hac re dicamus, ita res habet. Effectum inuenies sensu, illius causam querimus mente. Hæc inuenta, tum definitio constructur, tum demonstratio. Triplexq. definitio existit forma. Vna quid res sit, exponit, altera continet causam, cur sit, tertia vtrumque comprehendit. Duplex item demonstrationis genus. Alterum ex effectu ad illius causam ratiocinatur: alterum ex ea causa effectum pendere demonstrat. Illud ex notioribus nobis ad notiora natura, ex causis cognitionis ad causas rei, ex effectu ad causam. Hoc ex notioribus natura ad notiora nobis, ex causis rei ad causas cognitionis, ex causa ad effectum progreditur. Senli existentem effectum cernimus, admiramur, causam querimus. Aut igitur eam inductione assequimur sensu, quo hæc semper connexa deprehendimus, aut potius analysi, quæ vel effectum non nisi ab hæc causa proficisci posse: vel si ea semper connexa obliuemus, hoc intelligimus esse effectum, illud causam: aut etiam perceptionibus Logicis examinando, num id, cuius existentia cognoscitur, conditiones habeat propriæ causæ cõparatione illius effectus. Ita cognoscitur sanè quidquid est cognoscendum. Vt tamen distinctè magis, explicare, euidenter, & certa sciētia cognoscatur, duplex adhibetur demonstratio. Altera effectum & causam in propositione coniungēs, atque in assumptione accipiens effectum existere, causam quoq. concludit existere: virtute scilicet cõnexionis in propositione cognita: ex vi effectus & causæ formaliter. Altera ex causa probata existere ostendit, cur effectus sit. Etsi enim per analysim cognita fuerit causa vt causa, & in priori demonstratione cum effectu coniuncta: nõdum tamen satis fuit tota illa analysi explicata, aut ad sciētiam formam reducta, quæ euidenter appareat vnius ex alio deductio. Ita demonstrandi progressus analysi est oppositus. Analysis à cõclusionē ad propositionibus progreditur, demonstratio à propositionibus ad conclusionem. Idq. quod virtute solum & potestate cognoscatur analysi, actu & explicare cognoscitur, addita etiam deductionis necessitate & euidentia.

Tertium demonstrationis genus ab Auer. in Com. 1. Post. excogitatum, quo existentia simul & causa effectus ostendatur, minime est ab hoc secundo distinguendum. Quælibet enim demonstratio, quæ effectus causam ostendit, vim habet existentiam quoq. si opus sit, probandi. Quoniam nec sciri potest, cur proprietates in se subiecto, quin cognoscatur in esse: neque in esse cognoscitur, quin intelligatur existere, cum accidentis esse sit

esse sit inesse. Eademque est essentia & existentia causa. Vt si Luna Ecclipsis per interpositionem terre probetur, non solum cur sit, sed etiam esse ostenditur ei, qui fortasse ignoret. Et in textu 8. lib. 2. de Post. resolutione legimus, posse quidem cognosci rem esse, ignorando cur sit: at cognosci non posse, cur sit, quin simul cognoscatur esse. Nam etsi effectum existeret antea cognitum; sensu tamen, non demonstratione ac per causam, cognoscebatur. Quare dum ex effectu causam assequi ab illa rursus ad effectum regredimur, non ab eodem ad idem regredimur (esset enim circularis probatio argumentis optimis in textu 6. lib. primi de Posteriori Analyti confutata) quia non ab existentia causa ad effectus existentiam sensu notam redimus: sed ex vi & natura cause, cur effectus sit & propter quid existat, diversum scilicet questionis genus, demonstramus.

Aristotele  
in regre-  
sse 13 e  
quid.

Quod & Aristoteli probatum & pluribus in locis factitatum fuit vti in 1. quoq. lib. adnotauimus. In 8. lib. Phys. ex motus eternitate motoris eternitate demonstratur, & in text. 53. ex motoris eternitate eternitatem morus. In 2. lib. de Caelo text. 13. caeli habere dextrum & sinistru, quia mouetur ab ortu ad occasum, & text. 34. moueri ab ortu ad occasum, quia dextrum habet & sinistru. Et rursus in textu 48. stellas esse immobiles, quia sunt sphaericae, & text. 54. sphaericae esse, quia non mouentur. In primo de ortu & interitu text. 51. agens & patiens differre specie, & genere conuenire; quia sunt contraria: esseque contraria; quia differunt specie & conueniunt genere. In 1. lib. de Post. Analyti textu 7. propositiones demonstrationis esse necessarias, per se, & vniuersas; quia conclusio est necessaria: & text. 21. conclusionem esse perpetuam, quia propositiones necessariae sunt & vniuersae. In textu 30. Planetas esse propè, quia non scintillant & rursus non scintillare, quia sunt propè. Lunam esse sphaericam quia sphaericè augetur lumine, & rursus sphaericè augeti, quia est sphaerica. Mirro cetera. Ad huius rationis interpretationem reuertamur, à qua non nihil digressi videmur, dum exponeremus id, quod dicebatur; non solum quod res sit; sed etiam cur sit cognoscendum esse.

Secundo  
anima  
dijunctio.

Altera igitur anima definitio, quam Philosophus parat, haec erit. Anima est principium primum, quo animata viuunt, sentiunt, mouentur, & intelligunt. Haec & esse & causam continet. Alioque disposita modo demonstrationis erit conclusio. Animata differunt ab inanimatis, quod in se ipsis habeant principium primum, quo sentiant, moueantur, intelligant (neq. enim ab externa ad haec impelluntur principio) at differunt per animam; anima igitur est principium primum, quo animata viuunt, sentiunt, mouentur, intelligunt. Ex quo etiam prior confirmatur definitio, quia animam tradidit formam esse & entelechiam primam organici corporis; vt post suo loco explicabitur & praeterea reddetur ratio dubitationum omnium; inductiue consideratio partium animae ac facultatum.

Ceterum dum hanc posteriorem anima definitionem, quae causam continet, quaerendam esse proposuit; eam rationem exposuit, quoniam ex ijs, quae natura sunt obscuriora & nobis manifestiora, progrediendum est ad ea cognoscenda, quae natura sunt notiora, minusque nobis manifesta. Sic enim Philosophi orationem nimis concisam & propemodum mutilam monuerunt Simplicius &

A Philoponus additione eorum vocu, quae praetermissae fuerunt, esse iuandam.

Sed Philoponus propositionem illam, tum ad superiora retulit, tum ad inferiora. Ad superiora; vt cum illis subsequenter tractationem coniungeret. Quoniam enim ex notioribus nobis ad notiora natura, nobisque occultiora progrediendum est, notiusque nobis est quod res sit, quam cur sit: notius totum vniuersum & confusum, quam illius partes distinctae: notius, id quod est primum nobis, quam quod est primum natura: notiora inquam composita, quam simplicia, quae natura sunt prima. Idcirco cum antea docuerit quod sit anima, eiusque vniuersae generalem definitionem, quasi confusam, proposuerit: deinceps consequens est de singulis eius partibus dicere, & propter quid exponere. Ad inferiora vero & subsequenter, quemadmodum & Themist. & Auer. vt quem modum seruaturus esset ostenderet. Cum enim corpus si compositum; & ideo nobis notius, quam anima, quae est simplex; à corpore ad animam progrediendum erit. Ita in sequenti textu principium facit ab animato corpore quatuorque, quae re ab inanimato differat. Et rursus ex compositis ad simplicia progrediendo, ex hoc, quod viuentia viuunt, sentiunt, mouentur, intelligunt; animam colligit viuendi, sentiendi, mouendi, intelligendi, principium esse. Atque ita etiam ab vniuersa anima natura in priori definitione exposita ad singulas eius partes descendit, & propter quid prioris definitionis ostendit.

Methodus  
seruanda.

Digressio IX. De Notiori Natura & nobis.

Porro à notioribus nobis ad notiora natura progrediendum esse, & alibi saepe admonuit, & perpetuo obseruauit: Vt in textu 2. lib. 1. Phys. & text. 10. lib. 7. Metaph. & cap. 6. lib. 1. de Hist. animal. & cap. 4. lib. 1. de moribus ad Nicomachum. Ex sensibus enim cognitionem omnem haurimus. Duo-

bus item modis dici notius, aut natura, aut nobis; non solum hoc loco significatur, sed & aperte explicatur in primo libro Phys. text. 2. & 49. & 1. de moribus, & 7. Metaph. locis notatis; & 5. Metaph. text. 16. & 1. lib. de Poster. resolutione text. 15. & 6. Top. cap. 1. Et quidem notius natura in 1. Phys. & 7. Metaph. appellatur notius secundum rationem; alibi etiam absolute & simpliciter: & notius nobis dicitur esse notius secundum sensum. Hoc loco notius solum secundum rationem nominauit, sed cum rationi sensum opponere consueuerit; ex illo alterum membrum, quod est notius secundum sensum, intelligi voluit. Et quia idem est esse prius & esse notius; duo haec in primo Post. & 6. Top. & 7. Metaph. coniunguntur; & in 5. Metaph. priora cognitione, & hoc loco notiora dixit.

Prius porro, ac notius natura multis modis sumitur. Primum enim significat id, quod est maxime ens & actus, & ideo sua natura maxime intellectibile. Sic in text. 1. lib. 2. Metaph. Intelligentias vocat notissima natura: & text. 10. lib. 7. quae nobis sunt nota ait plerumque esse parum nota natura, & parum ente participare: & text. 15. lib. 9. actus dicitur substantia prior potestate. Et text. 56. lib. 8. Phys. id dicit prius altero quod substantia praestat. Secundo significat id, quod primum intenditur à natura & est quasi finis & vltimum aliorum. Sic species

Notius  
natura  
quid.